

barent huius vocis a *secundo* deriuationem <sup>ff)</sup>, eandem autem qui suam faceret, praeter IACOBVM CVRTIVM <sup>gg)</sup>, inueni neminem, nec illi reprehensores quemquam nominarunt huius notationis auctorem. Perquam modeste is autem nec HERENNIVM improbare vult, nec illis, qui cum GELLIO sentiunt, detrudere, vereri tamen se dicit, *ne rector ea sit sequestri etymologia, quod eos, qui contendunt, et inter quos rixa est, velut medius secat et dirimit.* Litterae C autem in QV mutationem facillimam putat, quum, si non eandem, certe proximam esse et similem harum litterarum vim, exempla *loquor* et *locutus*, *quassus* et *concussus* ostendant. En tantam doctorum virorum in huius vocis origine scrutanda dissensionem, quam si quasi arbiter et medius inter tot praestantissimos viros intercedens secarem, audacius quidem et arroganter id a me suscipi videri poterat. Neque adeo in hoc genere laborandum esse, et, quid verum sit, anxie quaerendum duxi, qui a TVLLIO <sup>hh)</sup> didicerim: minus de nomine laborandum esse, quum intelligitur, quid significetur. Scire autem, quid docti viri de hac re sentiant, quamque multipliciter in ea laborarint, id iucundum puto erudito homini, ideoque nec in hac quaestione volui hoc delectationis et oblectamenti genus a me praetermitti.

## §. IIII.

- ff) Exempli loco nomino: PETR. MVL- CLVDIVM in *Tract. de iure sequestrat.*  
 LER ad STRVVII *Syntagm. Iur. Ciu.* c. 1. n. 9.  
 Exerc. 21, th. 46. lit. α. HENR. RAH- gg) *Lib. 1. εἰκασῶν* c. 5. in *Thes. EV.*  
 NEN in *Diss. de Sequestro. posit. 1.* OTTONIS *Tom. 5. p. 103.*  
 hh) in *Topicis* c. 8. f. 35.

C